Loeaechius Andr.

50


Biblioteka Jagiellońska
stdr0001139



SER^mis ARCHIDVCIBVS AVSTRIÆ

MAXIMILIANO

Eiusq; Sorori Virgini,

MARIÆ CHRISTIERNÆ:

ALTERI VOTVM,

Vt Magni Patris incitatus exemplo, clárissimis in Patriam Meritis Nominis sectetur consequaturq; Immortalitatem:

ALTERI PARÆNESIS,

Né ob hominum opiniones, de hoc quod humanitùs malis artibus factum est, quicquam de animo optimè sibi conscio remittat.

XENII NOMINE

AB ANDREA LOEAECHIO SCOTO

DICATVM.



CRACOVIÆ,
In officina Ioannis Szelíga. A. D. 1606.

MAXIMILIANVS ARCHIDVX AVSTRIÆ

Per Anagramma:

MERA AC DIVINA LVX SVIS, AT MIHI ARX.

Votum Ad eundem.

AVstriacæ flos alte Domûs, cum ſanguine mores
Quem Patris exornat, ſanctæ ſtirps chara Parenti,
Omen habe Xenio : celebri haud ſine nominis aurâ
Cui Votum acceſſit. Bonus exitus omnia firmet.
Qnalis erat Genitor, ſpes eſt te certa futurum :
Degenerem Matri te nulla redarguet ætas.
Iam rebus ſatur humanis, terriſq; regendis,
Ille polum petijt licet, vſq; in prole remanſit :
Quale cadens arbor, quæ germina tollit in auras,
Vel collapſa viget viridi radice renata.
Credo ego, cùm Matrem grauidam Lucina leuaſſet,
Intonuiſſe Larem, MERA AC DIVINA puellus
LVX erit iſte SVIS, ARX AT MIHI robore firmo,
Cui Fama accreſcet, nullis minuenda ſuſurris,
Fama per æternam lucem ſenſura decorem.
Hic puer, hic fuerit qui non abs mente iuuentæ
Diſperdet curſum : ſic nil propè linquet inauſum,
Quo Marte & Muſis cuiquam ſplendeſcere fas eſt.
Orte puer, Patris ſolium obtenture, potenti
Dent fata eſſe tibi : rebus decus inſuper adde,

Quantum-

Quantumuis magnis. In quas fato ederis, oris
Regna noua adijcias, tanto cumulesq; fauore,
Vt non Creta suo magè sit deuincta tonanti,
Debeat haudq; suo suo Plus India salua Philippo.
Dixit, & adiecit, subeunte in verba Parente:
O citò speratos de te, flos candide, fructus
Patria decerpat, viridiq; rependat Honore;
Quo tua perpetuis mandentur Nomina Fastis.
☞ Archiducis Sanguis, Diuûm certissima cura,
Cætera tu nostris de te permitte Camœnis.
Fas augere mihi, fas vota iterare precando.
O cui Aonidum concessum intrare recessus:
O cui sub Phœbo licuit florente vigere,
Ingenuasq; artes trahere in compendia laudis;
Sic spe cultorem non est frustrata nouena
Turba, Tibi testes Romani Cæsaris aures,
Pieridum quàm te ditârit melle sororum
Quæque suo: quantum ô decus hac de sorte creatum.
Patria speratos de te, flos candide, fructus
Decerpat citiùs, viridiq; rependat Honore:
Quo tua perpetuis mandentur Nomina Fastis.
Spes Generis Magni Maxæmiliane, potentis
Gloria magna soli, Cæli indubitata propago,
Dij tibi concedant vt Patrem Laudibus æques,
Et Matrem Pietate: à te sint lumina nunquam
O auersa Deûm: te ad maxima, Maxmiliane,
Numina conseruent, factis tribuantq; Coronam.
Non te degenerem, Iuuenis dignissime, cœptis
Viderit vlla dies: calcar tibi Patria virtus
Et stimulos addat. Maneat te Fama Parentis:
Illius tecum feliciter effer in altum
Per gesta ô Nomen, sortemq; acquire merendo.
O cito speratos de te, flos candide, fructus
Patria decerpat, viridiq; rependat Honore.

Quo tua perpetuis mandentur Nomina Fastis.
Mox aderit tempus: sic crescit robur & ætas
Integra, quæ ad Patrias te hastas atq; arma vocabit.
Dij tibi dent animos, agit vt quem sæua cupido,
Iam se præscripto discat breuiore tenere,
Contractis votis, gyro te arctante vagantem.
Surge per illustres titulos, clarosq; triumphos
Heroo meditare animo: In fastigia tollet
Bellipotens ira te Mauors, atque inseret astris.
Inuictum ô maneant iusti te præmia belli:
O maneant tituliq; omnes omnesq; Triumphi,
Carolus est quondam meritus quæ agnomine Magnus.
Gloria te circum volitet plaudentibus alis,
Inuitans ausis transcendere in ætheris axem:
Fama tegat totum Laudumq; hinc inde cateruæ,
Suspiciant vnumq; omnes: orneris Honore
Dextræ Immortalis, quâ sic super alta feraris,
Gentis in astra suæ veluti per facta Quirinus.
O citò speratos de te, flos candide, fructus
Patria decerpat, viridiq; rependat Honore,
Quo tua perpetuis mandentur Nomina Fastis.
Dij, quibus Austriacos studium est seruare penates,
Sit multùm curæ Hic vobis. Conuertite ô orsus
In solidum effectum, finem qui ferre recuset.
Iuppiter, Huic Iuueni Patriâ Pietate nitenti
Da Patrium tetigisse decus, Patriæq; quietem
Inuehere. O clarum recturo Sydus ab alto
Prænite, & in portus duc, aura salubris, amœnos.
Volue retrò, Parca ô, seriem fatumq; retexe,
In caput hoc reuocans quicquid promittitur vlli
Splendoris lucrandi ausis, aut nominis almi.
O citò speratos de te, flos candide, fructus
Patria decerpat, viridiq; rependat Honore,
Quo tua perpetuis mandentur Nomina Fastis.

Nunc

Nunc leuiore Lyrâ, at clangore canêre tubarum
Maxmiliane aliâs, cùm quondam Marte Paterno
Hostibus incipies Patriam decorare Trophæis
Deuictis. Video, video dextram inclytam & ingens
Venturum Martis specimen, quod signa sub Eurum
Ferre parat roseum, signare & Doride metas
Imperij, Genitor quod spe præsumserat olim.

FINIS.

MARIA CHRISTIERNA ARCHIDVCISSA AVSTRIÆ

Per Anagramma, alterâ aspiratione demptâ:

I EIA TVI CVRAS, IRAM HANC TRADE SACRIS ARIS.

Parænesis Ad Eandem.

SV sceptas emensa vias Constantia, Regna
Sarmatica attigerat: sublimi in sede locatæ
Gratati Proceres: dictus iam ritè Hymenæus:
Iamq; dies, alterq; illum, decimusq; sequutus
Lætitiæ datus est varia in spectacula rerum,
E numero innumero nec quisquam tristis abibat.
Applausu longo attonitus iam cominùs ibat,
Adproperans quamuis Neptuni incurrere saltus,
Vistula Carpâtho natus. Prope mœnia postquam

 Con-

Constitit at Craci, notam conspexit & Vrbem,
Intuitus Vandæ sedem (dum vita manebat,
Vanda decus Patriæ, magno terrorq; Gradiuo)
Quà summa excisæ fundamina rupis, ab annis
Grandæuus genitor, sperati certus honoris,
Sublimem posuit venturis Regibus arcem:
Illachrymans hæc commemorat: Saluete penates,
Et Cereale solum. Vix hæc, dein tristiùs ore
Institit, obtutuq; solo non mobilis hæsit.
Endymion ô, fata tuis quàm prospera rebus,
Cynthia dum tibi spontè fauet, Iunone iubente.
Inuidêre Dei tales, irati, Hymenæos,
Inuidêre, puto: nunc commoda perdita cernens,
Vulnus alis, surdo votum committis & Austro.
Ter felix Vanda ô, nec in has data sponsa querelas
Ritogaro, viden vt nil tali turbine dignam
Fortuna affligat? Læta omnia fingit ocello:
Auro innectuntur, ceu lætæ, lactea colla.
Immò, tanquam animo per Regia tecta sonantes
Sint cantus vocesq; Italæ, promptè auribus haurit:
Lætitiam at simulans premit altos corde dolores.
Virginis obseruant Heroës ora tacentis,
Interdum dulce eloquium, consultaq; verba:
Interdum, Nemesi irati, sermone malignas
Incusant artes: nec sunt qui mentibus æquis
Accipiant. Fare ô, Latonæ an soluis Amores
Hoc pacto, Endymion? Gemitus suspiriaq; alta
Virginis audîstis diui, quos sustinet Atlas,
Decolor obscuro quos Styx interluit amne,
Et quos cœruleos spectat Galathea per æstus:
Et vos, quos rutilâ prospectat lampade Phœbus,
Esto agedùm testis, cinxti quæ tempora sertis
Ista Diana. Mihi neu te Saturnia flecte:
Da sim Threiciâ Cepheis vincta cathenâ,

Nec

Nec forti pro me meditetur prælia dextrâ
Perseûs. Expertem thalami periJsse iuuabit,
Ne lucem morer inuisam, terrasq; per omnes
Fabula sit vulgi mea mens super æthera magnis
Pura reperta deis. Peream periJsse iuuabit.
Ter felix Vanda ô, nec in has data sponsa querelas
Ritogaro. Latè Istulei adsonnere penates,
Ter felix Vanda ô, nec in has data sponsa querelas
Ritogaro. Quondam si pulsus ab vrbe Superbus,
Dum, præsente viro, pectus confodit eburnum,
Vlta in se raptum Lucretia casta pudorem,
Dissimile. Endymion, tu trudier orbe mereris
Ob crimen: Romani at tecum Cæsaris, exsul,
Mitiùs ira facit, proprijs dum seruat in oris,
Exsilium velut immeritum. Rapuisse Sabinas,
Huic compone, leue est: raptam donauit honore
Raptor quisque thori: tu vincla iugalia soluens,
Suspicione notas meliora merentem Hymenæum.
Neutrius at culpa hæc: testes sunt Numina vtrique.
Quem, quem ô tu Latona gemis, sub pectore mœsta,
Quamuis læta sinus? Longè tua dignior vmbra est
Artubus Endymionis. Certam criminis ansam
DiJ meliùs nôrunt, qui, læsi ob iura cubilis,
Arbitrio pœnas sumunt, pœnasq; remittunt.
Perfer & obdura: satis est quòd nulla per orbem;
Siue animi certamen erit, seu sanguinis alti,
Siue pudicitiæ, iusto sub iudice Palmam
Ablatura tibi. Merito hinc celebrabere honore,
Missa retrò postquam præsentia secla recedent.
Pascit enim viuos liuor: bene conscia cui mens,
Vnà hominum linguas famæ ridetq; susurros.
Frustrá serta Aris ponis, floresq; deabus,
Confirmasq; fidem: (Quid opus tibi testibus istis,
Cui DiJ sunt testes?) frustrà, quia casta, pudorem

Inculcas. Mens, mens linguâ tibi fortior omni
Mille fouens testes, hominum despectat ab alto
Ora audax. Viden ætheriæ regina choreæ
Præferat vt cælo haud terras, telluris in vmbram
Ingreditur quoties? Vulgi tamen hoc putat error.
At facit Errorem veræ ignorantia causæ:
Vmbræ mox etenim defuncta labore, coruscum
Absconsæ lucis mortalibus exerit orbem:
Sic tua fama altâ minimè sub nocte iacebit.
Pone metum: pelle infestum de corde dolorem,
Nec culpâ quicquam nec suspicione grauato.
Est tibi salua fides, nec Virginitatis egena.
I (licèt haud promas violati pectoris arma,
Iuratos Superos in voces nacta Pudoris)
TRADE SACRIS IRAM HANC ARIS: committe
EIA TVI CVRAS: neu credulitate timorē (tonanti
Nutri, Virgo. Haud Heroinis (esto fidelis
Experta hoc testis) non Regibus atq; Monarchis
Telluris Dominis Fortuna indulget Amores
Constantes. Fatorum etenim sunt numine cuncta,
Nec bona nec mala perpetuo subiecta tenori.

FINIS.

